TRIVMPHALE MAVSOLEVM

Clarissimis Laureati Exercitus IV. Viris;

IVLIO; LVDOVICO; ELIÆ; PLINIO;

Excitatum;

LVCAE;

In Templo Clericorum Regularium MATRIS DEI;

Solenni pompa consecratum;

Fornicibus, Signis, Emblematis, Symbolis, Coronis; Prosa, Metro, Varijs Linguis

Decoratum.

XII. Kalendas Septembris, M. DC. XLIV.

Per Iuuenes, & Adolescentes Scholarum Partheniarum.

&

ILLVSTRISS.[MIS] ATQVE EXCELLENTISS.[MIS]

LVCENSIS REIPVBLICÆ X. VIRIS.

Ab ijsdem Dicatum.



LVCÆ.

Apud Balthassarem de Iudicibus. M. DC. XLIV.

Superiorum permissu.



MIS MIS

ILLTSTRISS. ATQVE EXCELLELTISS.


LVCENSIS REIPVBLICÆ X.VIRIS.

Iuuenes, & Adoleſcentes Scholarum Partheniarum Lucenſis Ciuitatis.

Fauſtitatem, Felicitatem perpetuam.

Riumphale Mauſoleum, quod nuper in Templo Triumphāti Deiparæ Sacro, Quatuor Virorum Martyrum Palmis dicauimus: Vobis nunc, Excellentiſſimi X. Viri, excuſum typis, iterum dicamus. Exiguum munus Magnis Principibus at magno etiā Nomine decoratum. Ingratum fortaſſe non erit, eadem illa in hoc recognoſcere, quæ in illo præſentes, & fauentes vidiſtis. Triumpharunt ibi extincta Martyrum corpora in Veſtro plauſu, & quodammodo in Maieſtatis Veſtræ Luce reuixerunt. Triumphent hic in Veſtra benignitate audaciores Gymnaſij noſtri Camænæ, & Vos vel Apollines, vel Mæcenates ſorti ātur. Sinite hanc illas de Vobis Palmam referre, quæ non minus ad Veſtrum, quam ad ipſarum triumphum pertinere videatur. Hoc pro nobis à Vobis votum. Pro Vobis verò, Excellentiſſimi X. Viri, à Deo Opt. Max. Diū, Fauſtè, Feliciter Viuere; æternūm Regnare.

AD LECTOREM.



N Tibi, Amice Lector, prægustata in Templo, regustanda in Libro, Iuuenilis feracitatis præcoqua quædam veluti poma. Ibi, in suâ arbore, venustiora, fronde, coloribus, picturis animata: ardua tamen, sparsa, & ad legendum ferè incōmoda; hic veluti inanima quidem, sed omnia simul, & in mensa. Ante Autumnum prodeunt, Petentium magis solicitata votis, quàm sua tēpestate matura. Accipe qualiacumque sunt.

Martial. Ep. 17. l. 1. Sunt bona, sunt quędam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit, Amice, Liber.

Non enim Ingeniolum venditamus, sed in DIVOS NOSTROS *vrgemur affectu, cum hæc damus. Erga quos pietatem magis testatam volumus, quam ingenium, aut laborem. Spes est non displicitura hîc apposita, quę ibi nuper placuere pendentia. Nec acerbitatem ipsam allaturam fastidiū, nectareis DIVORVM Nominibus, veluti condimentis, mitigatam. Miraberis fortasse Arbusculas tantulas, à studijs parum excultas, nec Musarū adhuc fluoribus madifactas, tantos edere fructus; cum plerique rectè dixerint cum Persio.*

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repentè sic Poeta prodirem.

Nè mirere. Prodeunt Nomina multa, Poetę pauci. Doctorum Nostrorum pleraque pars lucubrationes sunt. Siquid Nostrum, eorum obstetrice manu lucem videt. Horum onus, honos est noster, quorum laboribus conuestimur. RR. PP. LVDOVICVS, & FRANCISCVS MARRACCII, alter supremi Rhetoricæ Athenæi, alter Humanioris Gymnasij Præses, veluti duo Tyndaridæ Fratres, ope, opera, auspicijs, vt hoc Tibi TRIVMPHALE MAVSOLEVM *nuper in Tēplo, imò Tēplū ipsum in Mausoleū excitaretur, aspirauere, affulsere. Cuius singulas partes, hîc tandem recognosce.*

TRI-

TRIVMPHALIS MAVSOLEI

Siuè

TEMPLI

Facies exterior.

SVmmum Valuarum Maximarum fastigium, Quatuor Martyrum Iconem, mediam inter Excellentissimæ Reipublicæ Lucensis Insignia cum dependenti Inscriptione huiusmodi spectantibus offerebat.

SISTE GRADVM
LEGE, SVCCEDE, QVISQVIS ES,
QVOCVNQVE LVSTRO, CENSV, ORDINE,
HOSPES, CIVIS, INGENVE, PROLETARIE.
AEDEM SACROSANCTAM VENERARE,
INDIGETES HEROAS
IVLIVM, LVDOVICVM, PLINIVM, ELIAM
NOVA QVATVOR LVCENSIS COELI SIDERA
SVSPICE, ADORA.
PRIMVM ROMANVS ORBIS
E CLARISSIMO VRBIS ORDINE DONAVIT:
RELIQVOS EX SARDOO HORIZONTE
BARBARICAE CRVDELITATIS NOX EVECTOS
TRANSMISIT.
HIC PIIS CINERIBVS
TROPHAEVM TVMVLI LOCO STATVIMVS.
VICTRICES ANIMAS
CANDIDVM OLYMPI LIMEN EXCEPIT
AETERNVM TRIVMPHATVRAS
REGNATVRAS.

THOMAS GVINISIVS.

In

In dextero earundem Valuarum latere, hæc legebantur.

CIuis, Hoſpes, qui ades, qui ſpectas; ne ignora, te oro, quod colis. IVLII, LVDOVICI, ELIÆ, PLINII Martyrum Oſſa, Cineres, mortalitatis reliquias vides. Iulium Roma dedit è Calepodij Cæmeterio, vbi Iulius idem Senator, Commodo Principe, Vitellio Iudice cæſus, humatus eſt. Inde primò extractus, Odoardo Tibaldeſco, Eminentiſsimo Almæ Vrbis Vicario à Secretis, donatus. Quo ex humanis ſublato, Congregationis Matris Dei Patribus, Odoardi Hæredes proprium tradidere, Templo huic Deiparæ Virgini Triumphanti Sacro, deſtinandum. Epigraphen Sepulcralem Romà hanc habuimus.

IVLIVS VERNIS VENVSTVS,
QVI VIXIT ANNOS XXI. ET MENSIS X.
DEPOSITVS VIRGO SVPER SE IIII. KALEN.
SEPTEMBRES.

CVM VASE
SANGVINIS.

Oedipo hîc opus. Explica tu, vt lubet. Fortaſſe ità probè connectes. DEPOSITVS VIR-

VIRGO CVM VASE SANGVINIS SVPER SE. Verùm nihil de Tripode prolatum.

In sinistra pila reliqua absoluebantur.

De Ludouico, Elia, & Plinio hæc habe. Calari in Principe totius Sardiniæ Ciuitate in Basilica Cõstantiniana D. Saturnino Martyri sacra, eorum corpora reperta, Inde, Bernardini Cionij, Magni illius Viri Ioannis Baptistæ Cionij, Pronepotis, Patritij Lucensis, & Sardinię Proregi à Secretis, liberalitate ad nos transmissa. Ludouici, atque Eliæ Cineres eadem Vrna claudebat. Additum Epitaphium cum Cruce Palmis ornata loco Parergi.

HIC IACENT. B. M. LODOVICVS. ET ELIÆ
R.T IN PACE. SVP. IMPERATOREM DIOCLISIAN.9.
KALENDAS. XXX. OCTOBRIS.

Plinij verò sarcophagum propè locatum, Palma, Cruce, Corde ad modum Crucis secto insculptum, itàque inscriptum.

B. M. PLINIVS. R. IN PA. K. XVI. A.

Prò quanta barbaries! Sed nè mirare. Barbarum tunc vbique seculum, præsertim in Sardinia,

dinia, vbi Nostri cæsi. Vtinam alia, vel barbariora, monumenta haberemus! Vnum tamen nunc satis esto: DIVI SVNT, ET MARTYRES. Cætera additamenta, quæ tempus occulit, æternitas reserabit. Tu cole, vade, vale.

CAROLVS PARENSIVS.

IPsa Templi facies, Aulæis, pictis tabulis, sertisque exornata, hinc inde Emblema suo cum Epigrammate, ob commodiorem scripturam bipertito, præferebat.

EMBLEMA.

Amarissima quæque Martyribus dulcia.

Fons aquæ dulcis è mari subsiliens. Plin. lib. 5. cap. 31.

DE D. IVLIO.

OCeani è medijs surgit fons vitreus vndis:
Lædere nec latices salsa fluenta valent.
Quin & Sicanijs Alphæus adire sub vndis
Fertur sincerus fontem, Arethusa, tuum.
Cedite naturæ miracula, cedite: IVLO
Quippe in Nectareas iam mare transit aquas.
Lætus amara subit tormenta, videtque Secures,
Lætus obit. Quid iam, Commode sæue, furis?

NICOLAVS SCANNABECCHIVS.

ALIVD.

Martyres frustrà minis, frustrà blanditijs tentati.

Geminus fons, mellis, & vini ab Apolline constitutus. Zenob. Prouerb. cent. 4. num. 100.

Quos

QVos hic vides liquore vario currere,
Fontes Apollo rupe percussa extudit.
Himettio alter melle, vino alter fluit;
Hos struxit auibus ille captandis dolos.
Imago veri quid refert? Dulces modos,
Promissa Regum blanda; Fons hic Melleus:
Vinum; minæ, flagella, tormenta aspera,
Mors ipsa; Neuter decipit latex Pios.

DOMINICVS BORRINIVS.

NEc Valua minores in Templi latere ornatu suo carebant: supra ipsas quoque Martyrum depicta Imago, cui corollarij loco Epigraphe adiuncta.

ILLVSTRISSIMIS
PVRPVRATI, LAVREATI EXERCITVS QVATVOR VIRIS
IVLIO
PATRIA GLORIA ROMANO
CVRIA, LATO CLAVO, EBORE DIGNISSIMO
LVDOVICO, PLINIO, ELIAE
SARDIS, CALARITANIS, INGENVIS
TERGEMINIS CHRISTIANAE MILITIAE HORATIIS
VICTORIBVS, TRIVMPHATORIBVS
CORONAS, PALMASQVE LEMNISCATAS
IMMORTALIS GLORIAE ARGVMENTVM
PATRIAE LVCIS ORNAMENTVM
INGENITAE PIETATIS MONVMENTVM
PARTHENIA LVCANAE CIVITATIS PVBES
IO, PÆAN, EVAX ACCINENS
SVPPLICABVNDA, GRATVLABVNDA
VTRAQVE MANV
D. D. D.

HIERONYMVS CIVFFARINIVS

FRONS TEMPLI INTERIOR

TEmplum ingressis, statim in dextera interioris ianua Ala MARTYRII Simulacrum visebatur, quod manu dextera nudatũ gladium coruscabat; læua catenas ferreas sustinebat. Additum sub pedibus loco basis Epigramma.

EN Pietatis honos! Ensis, diræque catenæ,
Iulius, & Sardi quem retulere Viri.
Miraris? Sunt nempe Pijs hìc ferrea secla.
Sed ferrum extinctis aurea secla parit.

VINCENTIVS PINIVS.

Supra caput pro Corollario hæc legebantur.

OMNES SANCTI QVANTA PASSI SVNT TORMENTA
VT SECVRI PERVENIRENT
AD PALMAM MARTYRII.

INde non procul in eodem latere Emblema cum bipertito Epigrammate suspensum.

EMBLEMA.

Assertoris imago, Martyrum animis impressa, eorundem pugnas sustentat.

Indi in bello aduersus Macedonas Herculis signum præferunt. Apud Q. Curt.

INdorum, Macedùmque acres hìc surgere pugnas
Cernis, & horrendos currere vtrinque Duces.
Fortior est armis Macedo, famàque superbus.
Herculea est Indis robur imago viris.
Quid vos, ò Diui, tanti ad discrimina belli
Exciuit? Vires quis fera in arma dedit?
Herculis ætherei imbelles animauit Imago:
Qui prior, vt mortem vinceret, occubuit.

FRANCISCVS PAGNINIVS.

In ipso Ianuæ maximæ vertice in parergata tabella scriptum.

CORPORA SANCTORVM IN PACE SEPVLTA SVNT: ET VIVENT NOMINA EORVM IN AETERNVM.

PAulò superiùs iuxta concamerationem, Symbolum (vulgò Impresa) affixum erat, quod adiuncta carmina explicabant.

SYMBOLVM.

ADamas, gentilitium Auctoris Insigne, super incudem frustrà concussus, alijs circùm lapillis ad ictum mallei dissilientibus: cum lemmate DVRABO VNVS.

Diui IVLII inter flagella inuictus Animus.

AD TYRANNVM.

R० Etunde, tunde, malleis, securibus,
Cruentior Leonibus, Lupis, apro,
Parente nate rupe, nate Tartaro
Tyranne, membra purpurata Martyris:
Simùlne destinanda tecum in inferos,
Stygisque conterenda taureis putas?
Prius videbis omne marmor impium,
Et æra mille dissilire frustulis,
IVLVS hisce quàm teratur ictibus.

FRANCISCVS SANTINIVS.

LÆuam Valuarum partem VICTORIA occupabat, alterâ manu Auream Coronam, altera virentem Palmam ostentans. Ipsi quoque pedibus Tetrastichon suppositum.

SVspice Victricem claro cum stemmate Palmam;
Sunt hæc militibus parta trophæa pijs.
Verùm quàm multò stetit his sudore Corona!
Sanguine quàm multo Palma rigata viret!

ALEXANDER BELLIVS.

Supra caput Parergon appositum.

CVM PALMA AD REGNA PERVENERVNT SANCTI : CORONAS DECORIS MERVERVNT DE MANV DEI.

EMblema proximè locatum: carminibus hinc inde aquè dispositis, quibus illius etymon claudebatur.

EMBLEMA.

Martyres Crucis præsidio inter blandas Tyrannorum voces immoti.

Vlysses Sirenum cantibus tentatus.

EN tibi Sicanias Ithacus, socijque per vndas,
En tibi Sirenum perniciosa domus.
Harum ne blanda caperetur voce; reuinctis
Pendère hac manibs maluit ille trabe.
Sic victa est longo non longa dolore voluptas;
Elususque noua est proditus arte dolus.
Blandiris frustrà, frustrà canis impia Siren.
Quos vinctos retinet Crux sibi, non capies.

IOANNES BAPTISTA BARTHOLOMEIVS.

AVLA TEMPLI

HÆc binis hinc inde Porticibus (quas Minores Naues vocant) media, per senos procurrit arcus, decem marmoreis Columnis suffultos: quarum singula (præter duas extremas Valuis proximas) singulis Virtutum Statuis basim faciebant. Sub pedibus Statuæ, supraque caput, Tabellæ corollarijs ornatæ, Dictum è Sacris Libris opportunè depromptū, varijque idiomatis Charactere exaratum habebant. Porrò Columnis ipsis Elogium hærebat, quo symbolicæ illæ Virtutum Icones exponebantur. Extremo Elogio, Coronidis vice, Epigramma suspensum. Hic Columnarum omnium apparatus: A Virtutum Signis Insignia, seu Symbola quaterno Epigrammate in Crucis speciem ornata, media collocabātur. Quæ omnia mox dabo. Supra mediam Aulam, propè lapideos Aræ Maximæ Cancellos, quadrata moles, effcta varij, pretiosique marmoris specie, ad laquea-

quearia vsque templi surgebat, binis ad quatuor frontes columnis, singulisque parastatis ad angulos, quibus omnibus suæ bases, seù pilæ suberant, fulta, columellis inter bases insertis. A Columnarum Epistylijs Coronis opere Corinthio circumducebatur, cuius superiora Pyramides quatuor in angulis, octoque iuxta Angelorum Statuæ supra bases, breuioresque colũnas veluti cancellos locatę, exornabant. Propter statuas quadruplex Fornix exiliens, seque in Tholum flectens, globum magnum Palmis redimitũ, corollarijsque sustentatum, in cacumine spectandum offerebat. Augebāt ornatum argenteæ lampades plurimæ è Coronide demissæ: quatuor etiam perampla Diademata, quæ per sericeas vittas à medio tholo dependebant. Argentea præterea candelabra multa, florea serta, Palmæ, Cælestium Geniorum signa, quæ supra Coronidem, & inferiores Cancellos spectabātur. Intra ipsam molem ingens Vrna, argẽto, auròque fucata, inter duas Aras eminebat, ad quas per ternos gradus quatuor in frontibus patebāt accessus. In ea per crystallinas laminas interiectas, quatuor Diuorũ Martyrum corpora, ternis spatijs ab imo ad summum decrescentibus, distincta apparebant. Iulius supremum locum, medium Plinius occupabat: in extremo Ludouicus, & Elias simul collocati. Ibi per octo dies magna populorum frequentia, atque ipsorum Decem Virorum Principum publico, priuatòque interuentu piè culta, ac precibus, Votis, Sacris honestata.

VIRTVTVM ICONES, ET ELOGIA.

CHARITAS.

Mvlier, reliquo corpore prona, at veluti supplicabunda, sed vultu in Cælum, quod læua manu indigitat, erecto: Dexterà apertum pectus, flammàsque per ipsum anhelantes ostendit.

ELOGIVM.


SALVETE INNOCENTES DIVINI AMORIS VICTIMAE
IVLI, ELIA, PLINI, LVDOVICE.
AMOR IPSE AMANTISSIMVS DAEDALVS
VOBIS ICARIS SVIS ALAS INNEXVIT
QVIBVS
PER CARCERES, VERBERA, FERRVM, CRVCES,
AD IGNOTAS PHAEBO VIAS

AD

AD EMPYREAS SEDES
CITRA CASVM SVBLIMES EVOLARETIS.
AMORIS SAGITTIS VVLNERATI
NVLLA IAM VVLNERA CVRATIS.
PHALARIDIS TAVRVS, BVSIRIDIS ARAE,
DIOMEDIS STABVLA
NVNQVAM VVLNVS ILLVD VESTRVM CVRASSENT
QVO CHARITATE SAVCII LANGVEBATIS
VT VVLNERA INNVMERA EXPERIREMINI
AMORI DEBETIS
QVOD ARDETIS; QVOD ARDORE VESTRO BEAMINI.
ILLE VOBIS FLAMMAS SVAS INIECIT.
ILLE VOS CAELESTIS PROMETHEVS SVIS INCENDIIS
ANIMAVIT.
IGNIS ILLE HVMI IACENDI IMPATIENS
AD EMINENTISSIMAS CAELI ARCES SEMPER
ANHELAVIT.
AMOREM VESTRVM VENERAMVR.
EIDEM SVPPLICABVNDI.
PRECE, HOSTIA, RITE LITAMVS.
AMORE
VIVERE, MORI LICEAT
OBSECRAMVS.

Parergon sub pedibus cum lemmate
Greco Charactere expresso.

GLORIAMVR IN TRIBVLATIONIBVS
SCIENTES, QVOD TRIBVLATIO PATIENTIAM OPERATVR:
QVIA CHARITAS DEI DIFFVSA EST IN CORDIBVS NOSTRIS,
PER SPIRITVM SANCTVM QVI DATVS EST NOBIS.
Rom. cap. V.



Coronis supra caput
CHARITAS CHRISTI
VRGET NOS.

2. Corinth. cap. 5.

IOANNES BAPTISTA ANDREOZZIVS.

PRV-

PRVDENTIA.

Fœmina bifrons, anguem læuo brachio innexum, dexterâ manu Hominis vitâ functi Cranium gestans. Auratâ caput galeâ protegit, cui Mori folijs consertum stemma circundatur.

ELOGIVM.

PRVDENTIAM SPECTATOR VIDES.
QVÆ
IN IVLIO, LVDOVICO, PLINIO, ELIA
LARES, PENATES, GENIVM, INGENIVM
COLLOCAVIT
OMNIA VIDIT, PRÆVIDIT, PROVIDIT.
MOMENTVM, ÆVVM
TERRAS, CÆLVM
ASSIDVE GEMINO VVLTV SVSPEXIT.
IN CRANII SYMBOLO
HOMINEM HVMVM, FIMVM, FVMVM, VMBRAM, NIHIL
ANIMADVERTIT.
AVREA CASSIS
AVREVM INGENIVM, AVREA CONSVLTA:
MORO CONSERTVM STEMMA
CONSILIORVM EXPRIMIT MATVRITATEM
SERPENS LÆVO BRACHIO OBVOLVTVS
PARATVM AD QVÆLIBET EXTREMA SVBEVNDA ANIMVM
DVM CHRISTVM CAPVT AB HOSTIVM ICTIBVS DEFENSARET,
MYSTICE ENVNCIAT.
HIC TOTA RATIO
INTELLECTVS, CIRCVMSPECTIO, PROVIDENTIA, CAVTIO.
APAGE PRVDENTIAM CARNIS
MERAM STVLTITIAM, INSANIAM,
QVÆ SOLVM POLO, IMA SVMMIS
CADVCA ÆTERNIS PRÆPONIT.
QVATVOR NOSTRI
MOMENTANEVM, ET LEVE MORTALITATIS INTVENTES
IMMORTALIS GLORIÆ PONDVS SVSPICIENTES
ASSERTORIS SACROSANCTI MONITA, EXEMPLA TENENTES
FACILLIMA REI, VITÆ IACTVRA
DEVM SIBI ÆTERNVM
PROMERVERE.



Epi-

Epigraphe sub pedibus,
Arabici Characteris

SVPER INIMICOS MEOS PRVDENTEM ME FECISTI MANDATO TVO, QVIA IN ÆTERNVM MIHI EST. SVPER OMNES DOCENTES ME INTELLEXI, QVIA TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST.

Psalm. 118.

Supra caput.

ESTOTE PRVDENTES SICVT SERPENTES.

Matth. 10.

HIERONYMVS CIVFFARINIVS.

SIMPLICITAS.

Puella, cyclade candidissimâ induta, liliorum serto redimita, cuius dexterà niuea Columba placidè insideat.

ELOGIVM

CANDIDISSIMIS MANIBVS
LVDOVICO, PLINIO, ELIÆ,
QVIBVS
NIHIL INNOCENTIVS SARDINIA TVLIT,
NIHIL TRANQVILLIVS LIGVSTICVM PELAGVS VIDIT.
IVLIO ROMANO LATICLAVIO,
RADIANTI SIMPLICITATIS PVPVLAE,
EXVLTANTI SINCERITATIS CORCVLO,
VNICO NIVEI AMORIS DELICIO.
VERE LILIO,
QVIA VIRGINI, QVIA VERNI, QVIA VENVSTO.
QVEM

QVEM
NISI CANDOREM MERVM APPELLES,
NIGER IPSE APPELLANDVS SIS.
SALVETE
BELLAE, NON IMBELLES COLVMBAE,
QVIBVS
DIRAE, INFAVSTAE, OMINOSAE AVES
FRVSTRA BELLVM CONCITAVERE.
NVDA VOS SIMPLICITAS
INTER ARMATAS LICTORVM MANVS
COMITABATVR, DEFENSABAT.
NIHIL PALVDATA VIS,
NIHIL PALLIATVS ASTVS OBTINVIT,
NISI, VT NIVES VESTRAS
INNOCENTI CRVORE RESPERGERET.
VOS CAELESTIS CVRIAE CANDIDATOS
IN REGES PVRPVRARET, INAVGVRARET.
REGNATE AETERNVM,
QVOD FELIX, FAVSTVMQVE SIT,
PVRPVRATI VT REGES DECET,
CANDIDATI VT IMMORTALES,
VT DEI FILIOS
VT LACTEAM INGENVAE SIMPLICITATIS PROLEM.
APPRECAMVR, GRATVLAMVR.

Lemma Sacrum
Hebraico idiomate scriptum.

SIMPLICITAS IVSTORVM DIRIGET EOS, ET SVP-PLANTATIO PERVERSORVM VASTABIT ILLOS. IVSTITIA SIMPLICIS DIRIGET VIAM EIVS: ET IN IMPIETATE SVA CORRVET IMPIVS.

Proverb. XI.

Corollarium.

ET SIMPLICES SICVT COLVMBAE.

Matth. 10.

BENEDICTVS MANFREDIVS.




RELIGIO

M*Atrona, longo, niueòque Syrmate veneranda, quæ sinistrà volà succensam contingat Aram; Dextrà verò, quâ Crucem stringit, Hydram effugare videatur.*

ELOGIVM.

PROCVL, O PROCVL ESTE PROFANI.
CASTISSIMAE RELIGIONIS INSIGNIA PRODEVNT;
LVDOVICVS, PLINIVS, ELIAS, IVLIVS
EIVSDEM ASSERTORES
MYSTAE, FLAMINES, SACRIFICI
VOS EXAGITANT, EXPELLVNT, EXTVRBANT:
PRO ARIS, ET FOCIS PVGNATVRI,
VERI NVMINIS CVLTVM PROPVGNATVRI.
MINITETVR MODO COMMODVS RIDICVLVS HERCVLES
EXCANDESCAT VITELLIVS FICTITIVS THESEVS
EXARDESCAT DIOCLETIANVS IMPIETATIS PRODIGIVM,
INMANITATIS PORTENTVM.
VNICA SEMPER TRIVMPHABIT RELIGIO.
CONCIDENT TERCENTVM ILLA
TOTAM DELVBRA PER VRBEM
CVM TOT LARIVM, PENATIVM, DEORVM, DEARVM
MYRIADIBVS.
SARDINIA CHRISTIANO CRVORE EXPIATA,
IDOLORVM SORDES IN PROPINQVVM PELAGVS ABIICIET.
HYDRA ILLA E STYGIA PALVDE EMERSA
QVAE TOTIES VENENIS SVIS ORBEM INFECIT

TOTIES RESECTA PVLLVLAVIT
CRVCIS CLAVA CONCVSSA
IGNE EMPYREO CONTACTA
PENITVS EXTINGVETVR.
CHRISTIANVM NOMEN
CAESARIBVS ETHNICIS SEMPER INFESTVM
SACRO VICTORVM SANGVINE EXPRESSVM
DECORATVM
VIVET, CORVSCABIT
NVNQVAM OBLITERANDVM
NVNQVAM OBSCVRANDVM.




Sacrum Dictum in basi.

Charactere Chaldaico.

CONFRACTVS EST BEL, CONTRITVS EST NABO: FACTA SVNT SIMVLACRA EORVM BESTIIS, ET IVMENTIS: ONERA VESTRA GRAVI PONDERE VSQVE AD LASSITVDINEM. CONTABVERVNT, ET CONTRITI SVNT SIMVL, NON POTVERVNT SALVARE PORTANTEM.

Isa. 46.




Appendix ad caput.

MIHI CVRVABITVR OMNE GENV.

Isa. 45.

DIDACVS DE MINVTOLIS.



FORTITVDO

Virgo, Thorace, & Galea, cui folia quernæ sertum faciant, armata. Ensem dextrâ nudatum vibrat: Lævâ clypeum sustinet; in quo Aper cum Leone confligit.

ELOGIVM.

QVIS MARTEM TVNICA TECTVM ADAMANTINA
DIGNE SCRIPSERIT?
QVIS IVLIVM MARTIAE VRBIS ALVMNVM
AETATE PENE PVERVM,
DIGNITATE PATREM,
FORTITVDINE HEROEM, CHRISTIANVM MARTEM
PRO MERITO PRAEDICAVERIT?
QVIS
LVDOVICI, PLINII, ELIAE
PALMAS, LAVREAS, TRIVMPHOS, NVMERAVERIT?
HEV! AD NOS VIX TENVIS AVRA FAMAE PERLAPSA EST.
IVLIVS
MINIS, BLANDITIIS, APPETITVS,
VINCVLIS, INEDIA AFFLICTATVS,
SERVILIBVS NOTIS INVSTVS, VIRGIS CAESVS
AD FORTIDVDINIS MIRACVLVM OCCVBVIT.
SARDI COMMILITONES
SACRI HERCVLES
ACERRIMO CVM CHRISTIANAE RELIGIONIS HOSTIBVS
PRAELIO SVSCEPTO
FERRONE, AN FLAMMIS, INCERTVM:
CONSTANTISSIME CERTE
CECIDERE.
CRVCES PALMIS, LAVREISQVE ORNATÆ
QVIBVS IN CONSTANTINIANA
CALARITANAE VRBIS BASILICA
EORVM NOMINA
SARCOPHAGO MARMOREO INSCRIPTA
PRAENOTANTVR,

ASPER-

ASPERRIMVM MORTIS GENVS INDIGITANT
PALMIS, LAVREIS HONESTANDVM
IMMORTALITATIS TROPHAEO
DONANDVM.

In basi scriptum Syriacè.

POSVISTI CIVITATEM IN TVMVLVM, VRBEM FORTEM IN RVINAM; DOMVM ALIENORVM, VT NON SIT CIVITAS, ET IN SEMPITERNVM NON ÆDIFICETVR. SVPER HOC LAVDABIT TE POPVLVS FORTIS; CIVITAS GENTIVM ROBVSTARVM TIMEBIT TE: QVIA FACTVS ES FORTITVDO PAVPERI: FORTITVDO EGENO IN TRIBVLATIONE SVA.


Isa. 25.

Ad caput.

ET PRÆCINXISTI ME VIRTVTE AD BELLVM.

Psalm. 17.

STEPHANVS MECONIVS.



ELO-

ELOQVENTIA

F*Æmina purpureo amictu conspicua. Fulmen dextrâ iaculatur: sinistra apertum Volumen ostendit. Capiti, sub Columbæ simulacro, Sacrosanctus insidet Paracletus.*

ELOGIVM.

ASSVRGITE, ACCVRRITE, ADSTATE,
OBMVTESCITE
ROMANI FORI, ATHENIENSIS AREOPAGI, GERVSIÆ SPARTANÆ
ORACVLA, MIRACVLA, AMPLISSIMA, DISERTISSIMA:
NOVA QVATVOR
CHRISTIANÆ ELOQVENTIÆ LVMINA
FLVMINA, FVLMINA
SVSPICITE, CONTEMPLAMINI.
NESTORES, AMPHIONES, ORPHEI,
ARIONES, HERCVLES GALLICI
FABVLÆ, COMMENTA, NVGÆ.
TVLLII FACVNDIA INFÆCVNDA
DEMOSTHENIS COPIA INOPS.
QVICQVID VBIQVE EST ELOQVENTIÆ, MVTVM, BRVTVM.
PLENA POTENTILOQVO DEO
REFERTA FACVNDISSIMO NVMINE PECTORA
ARDENT, VT VALEANT INCENDERE.
ELVCENT IN PVRPVREA CYCLADE LATENTES FLAMMÆ;
FABRICATA IN CORDE FVLMINA
ET LINGVÆ MANVS IACVLANTVR
NON VT TERREANT, SED VT ALLICIANT:
RESIDET IN LABRIS DIVINA PITHO
QVÆ VEL VMBRAS, ET TARTARA FLECTAT:
FLVVNT EX ORE
MELLIS, NECTARIS, AMBROSIÆ FLVVII
QVIBVS ET FELLEA CORDA OBDVLCESCANT.
O VERE FLORES POPVLI DELIBATOS;
O VERE SVADÆ MEDVLLAS,
QVIBVS
SAXA, SYLVÆ, FERÆ
TRAHVNTVR, ATTRAHVNTVR!
QVIDNI HYRCANIS TYGRIBVS, CAVCASEIS CAVTIBVS
LYBICIS DRACONIBVS ASPERIORA
COMMODI, VITELLII, DIOCLETIANI CORDA DICAS,
QVÆ
NEC SVAVISSIMVS VOCALIS FVLMINIS SONITVS
DE-

DEMVLSIT
NEC CRVENTVS IMBER SVBSEQVVTVS
EMOLLIVIT.

Hypographe
Litteris Græcorum vetustis expressa.

CVM AVTEM TRADENT VOS, NOLITE COGITARE QVOMODO, AVT QVID LOQVAMINI: DABITVR ENIM VOBIS IN ILLA HORA QVID LOQVAMINI: NON ENIM VOS ESTIS QVI LOQVIMINI, SED SPIRITVS PATRIS VESTRI, QVI LOQVITVR IN VOBIS.

Matth. 10.

Dictum supra caput.

DEDIT MIHI DOMINVS LINGVAM
ERVDITAM.

Isaiæ 50.

PETRVS SANTINIVS.

MAGNANIMITAS.

Matrona Leoni insidens, Paludamento auro textili insignis, imperatorio Diademate conspicua; dextrâ sceptrum regit, læuâ Amalthea cornu tenet, ex quo Auri, Argentique signati vim largè profundit.

ELO-

ELOGIVM.

EGREGIAE, PRORSVSQVE REGIAE
SACRORVM PRINCIPVM MAGNANIMITATI
CORONA, AVRO, SCEPTRO, PVRPVRA DONANDAE.
GENEROSO SANGVINI, AVGVSTIS PECTORIBVS
QVAE
SECVNDIS NVLLIS ELATA
ADVERSIS NVLLIS DEIECTA
SEMPER SIBI REGALISSIME IMPERITAVERE.
NVLLA FLAVESCENTIS METALLI LVX
SINCERIS OCVLIS TENEBRAS OFFVDIT.
IN AVRO, AVREI VSQVE PERSTITERE.
QVIDNI AVRVM CONTEMPSERINT
QVI CRVOREM TAM LARGE PROFVDERE?
NON FAVOR FALLACIS TVRBÆ, NON FVROR,
NON VVLTVS INSTANTIS TYRANNI EMOVIT,
NON FASCES FLEXERE, NON OSTRVM EMOLLIVIT.
ERGASTVLA, FLAGRA, SECVRES, CRVCES
OPPVGNAVERE, NON EXPVGNAVERE.
SI TOTVS ILLAPSVS FVISSET ORBIS
IMPAVIDOS RVINÆ FERIISSENT.
IMPAVIDOS CERTE
VIRGAE, ENSES FERIERE, NECAVERE
MERITO FERARVM PRINCIPIS ICONE EXPRIMENDOS
QVEM
NVLLA BLANDITIARVM IRRITAMENTA,
NVLLA MINARVM TERRITAMENTA
MINOREM SEIPSO EFFICIVNT
SEMPER REGIVM, SEMPER EVNDEM.
ABEAT, VALEAT ZENON, GREX, PORTICVS
CVM PORTENTOSA APATHIA.
FABVLÆ ILLÆ, DELIRIA, MERÆ NVGÆ.
HIC IAM VERE APATHES E CHRISTIANA DISCIPLINA
HOSPES
SVSPICE, CONTEMPLARE, VENERARE.

Hypographe, Charactère Rabbinico.

QVID ENIM MIHI EST IN CAELO, ET A TE QVID VOLVI SVPER TERRAM? DEFECIT CARO MEA, ET COR MEVM: DEVS CORDIS MEI, ET PARS MEA DEVS IN AETERNVM. *Psalm. 72.*

Corol-

Corollarium.

DISPERSIT DEDIT PAVPERIBVS.

Psalm. 111.

SIMON BOCCELLA.

CONSTANTIA

FOEmina quæ dextram tollit; Lævâ hastæ, pedibus quadrato Lapidi innititur.

ELOGIVM.

ADAMANTINAM HEROVM CHRISTIANORVM CONSTANTIAM
AD STVPOREM SPECTATOR CONTEMPLARE.
NIHIL HIC FVTILE, NIHIL INFIRMVM VIDES.
SVBLATA IN CÆLVM DEXTERA
SIDERA, NVMINA SANCTISSIMO IVRE IVRANDO OBTESTATVR
DATAM SEMEL CHRISTO FIDEM
VEL VLTRA MVCIANAS ARAS CASTISSIME SERVANDAM.
LÆVA HASTAE INNIXA
IMMOTAM INDIGITAT MENTEM
TENOREM ANIMI EVNDEM
QVODCVNQVE FERAT FORTVNA
QVODCVNQVE BARBARIES MINITETVR.
IAM QVADRATA BASIS,
FELICISSIMVM SEMPER CASVM OMINATVR:
IMO CASVM OMNEM PROCVL FORE POLLICETVR.
EN TIBI IVLIVS
VERE ROMANVS PATRIA, FIDE, ROBORE
QVI
PRO CHRISTI RELIGIONE ASSERENDA
SENATORIAM PVRPVRAM VIRGINEO CRVORE

D DE;

DECORAVIT.

EN PLINIVS, LVDOVICVS, ELIAS
TRIA SACRI MARTIS FVLMINA
QVOS
SVIS IN CAMPIS SARDINIA GLORIOSE PVGNANTES
GLORIOSIVS OCCVMBENTES VIDIT.
DIGNVM CÆLO SPECTACVLVM,
DIGNAM CÆLESTI LAVREA VICTORIAM
DIGNVM SIDEREO CAPITOLIO TRIVMPHVM.
VENERARE TV QVI ADES, QVI LEGIS
QVATVOR CHRISTIANAE CONSTANTIAE CATONES.
NEC CAPTOS, NEC VICTOS
QVI
SE PER OMNEM VITAM INVICTOS
PRÆSTITERE.

Sub pedibus, Hebraicus character vetustissimus.

DOMINVS DEVS AVXILIATOR MEVS, IDEO NON SVM CONFVSVS; IDEO POSVI FACIEM MEAM VT PETRAM DVRISSIMAM, ET SCIO QVONIAM NON CONFVNDAR. IVXTA EST, QVI IVSTIFICAT ME: QVIS CONTRADICET MIHI? STEMVS SIMVL: QVIS EST ADVERSARIVS MEVS? ACCEDAT AD ME.

Isaiæ 50.

Supra Caput.

ET STATVIT SVPRA PETRAM
PEDES MEOS.

Psalm. 39.

CAESAR GRATIANIVS.

DE DIVO ELIA ELOGIVM.

SALVE ELIA:

SALVE FIDEI, PIETATIS, RELIGIONIS PROPVGNATOR.
TV ZELO PRORSVS ELIANO SVCCENSVS
NVMINIS HOSTES EXTERRES, INVADIS, PROFLIGAS.
TV DIOCLETIANVM
ACHABAEAE IMPIETATIS AEMVLVM
ITA FVGAS, VT NVSQVAM FVGIAS.
ITA CAECVTIENTIS PATRIAE PERFIDIAM DETESTARIS,
VT INOPIAM IMBRIVM NVLLAM INDVCAS.
QVIN TVI CRVORIS COPIA STERILE SOLVM
FOECVNDAS.
CVPIIT ELIAS MORI, MORTEM EFFVGIT:
PLVRES MORI COEGIT, VNVM A MORTE REVOCAVIT.
TV SI MORTEM AMBIS,
VENIENTEM NON REFVGIS.
TV MVLTIS MORERIS, VNVS TIBI.
MORERIS TAMEN, VT MELIVS VIVAS;
NEQVE FLAMMATIS QVADRIGIS
IN FORTVNATA EDENI HORTI NEMORA VIVVS TRANSFERRIS,
VT MORITVRVS ITERVM REDEAS;
SED IN EMPYREAS SEDES
MORTALI PONDERE SOLVTVS EVOLAS,
ALIQVANDO REDITVRVS, NVNQVAM OBITVRVS.
INTEREA QVOD MORTALE FVERAT
LVCA ITVEBITVR.
HAEC EXTINCTIS ARTVBVS VITAM DABIT, ET LVCEM,
ELIÆ IAM SVI
EX INFESTA PATRIA SVBLATI
HOSPITALIS PARADISVS.


CAROLVS PARENSIVS.



DE DIVO PLINIO
ELOGIVM.

QVOD IN CONSTANTINIANA
CALARITANAE VRBIS BASILICA
D. SATVRNINO CHRISTIANO ATHLETAE SACRA
PER QVATVORDECIM PENE SECVLA DELITVERAT,
HIC LICET, HOSPES, VIDERE, VENERARI.
SACRVM PLINII MARTYRIS CORPVS,
SPIRITV IAM IMMORTALITATE SVA FRVENTE,
HIC IACET.
SARDINIA, CVI LVCA MALOS CIVES ABLEGAT
LVCAE SANCTISSIMVM TRANSMISIT ALVMNVM.
QVI
PLINII ALTERIVS EXEMPLO
NON INFERIORIS QVIDEM NATVRAE
SECRETA INDAGANDO
VESEVI INCENDIIS ABSVMPTVS EST,
SED SVPERIORIS MVNDI PENETRALIA VESTIGANDO
BEATISSIMIS EMPYREI FLAMMIS
VIVVS CONFLAGRAVIT:
QVAS DVM INNOCENTISSIMI CRVORIS IMBRE
PRO CHRISTO OCCVMBENS CVPIT EXSATVRARE,
MAGIS AVXIT.
VERVS INTER CHRISTIANOS HEROAS ALCIDES
DVM SANGVINE, ET IGNE PERIT
MORTE CLARA, MEMORANDA, INCLYTA.
CVI
POST FATVM VIRTVS
IN ASTRA, ET IPSOS FECIT AD SVPEROS VIAM.
TV PLAVDE VICTORI,
ET SACROS CINERES ÆTERNITATI REDDENDOS
PIE COLE.

IACOBVS MARTINELLVS.



SYM-

139

SYMBOLA
EPIGRAMMATIS EX PVRIS IAMBICIS EXPLICATA.

SYMBOLVM I.

HYSTRIX A CANIBVS APPETITVS CVM EPIGRAPHE,

SE TVTISSIMVS VNO.

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa,
Martyrum tuta defensio.

AD TYRANNVM.

IAmbe tela, tela Iambe suffice,
Satellitum ferissimum quibus petam,
Furore natum, & educatum Erinnybus.
Quid, ò Tyranne, quæso, quid furis fera?
Vt eruas genus Virum, & genus Deum?
Minas, neces que, tela, quæ potes moue;
Flagella concute. His nihil quidem potes
Nocere; triste quando non nocet scelus.

NICOLAVS ORSVCCIVS.

II.

VNICORNIS, AVTHORIS STEMMA, AD PETRAM CORNV EXACVENS, CVM EPIGRAPHE,

VT GRAVIVS FERIAT.

Martyrum Virtus tormentis validior.

IN COMMODVM.

STygis propago COMMODVS, lues Virum,
Lupis ferocitate maior omnibus,

Cruoris impiâ siti calens pij;
Minas, flagella, belluas, totas parat,
Crucésque mille, mille congerit neces.
Nihil, Tyranne, proficis: Noces tibi.
Videtur interire, sed magis viget;
Cadensque vincit id Vitum potens genus.
Nec ad flagella vis decora frangitur:
Acuminatur, vlcus vt ferat tibi.

FABIVS GVINISIVS.

III.

MALVM PVNICVM VNDIQVE DIFFISSVM; CVM LEMMATE.

SPONTE MAGIS.

Martyres sibi ipsi præcipui pænarum authores.

D. IVLIVS TYRANNVM ALLOQVITVR.

NEcem, Tyranne, cùm minaris, impie,
Timore pectus atteri putas meum?
Velim trecenties mori, velim suprà;
Nec expauesco, Vita quà venit, necem.
Sed vna tantum, id indolet, quòd est tibi:
Amantibus perire non sat est semel.
Beatitatis est apex Olympicæ,
Amore Christi obire millies necem.

LAELIVS DE NOBILIBVS.

IV.

SOL DEFECTVM PATIENS, NVNQVAM PENITVS LVCE SVA CARET, CVM LEMMATE.

NVNQVAM TOTVS DEFICIT.

Martyrum lucem nulla Tyrannorum inuidia prorsus obscurauit.

140

AD TYRANNVM.

ERinnys atra, luridum stygis genus,
Creata nocte; quid nigrare niteris,
Vbique Sole quod refulget amplius?
Auernus omnis, omnis vmbra Tartari
Aceruum in vnum, & vnum imagmen irruat:
Opacitatis afferet nigræ nihil;
Nec vlla mors, nec vlla probra contegent,
Quod Acta pulchra Martyrum iubar beat.

PAVLVS COLIVS.

V.

OLEAE ARBOR, AVTHORIS INSIGNE, TRVNCATIS VNDIQVE RAMIS, IN NOVOS PALMITES RECALESCENS; CVM DICTO.

VITA LONGIOR.

Mors Martyrum, vitæ stabilimentum.

IN TYRANNVM.

REcide, cædo membra, dire, Martyrum,
Tyranne; quid nocebis? Innouabitur
Recisa vita; longiusque seculum
Beatitatis in sinu pares Deis,
Agent procul timoribus, procul nece.
Inest enim securibus vigor tuis,
(Hydræ caput secare non secus velis)
Vt ipsa, quæ recidis, hæc repullulent.

ANTONIVS GASPARIVS.

VI.

ARBORES PROPE TORRENTEM, HYEME NVDAE, AQVARVMQVE VIOLENTIA PERCVLSAE, CVM DICTO EX SACRO VATE;

PROSPERABVNTVR.

Martyrum in terris cruciata Patientia, Cælo felicius reuirescens.

AD EOSDEM MARTYRES.

BEata ter, quaterque, plusque Nomina
Recepta tot periculis, tot hostibus
In arua sempiterna dulcis Aetheris;
Eratis olim vt Arbor Alueum propè,
Hyems aquosa quem, Notusque plurimo
Adauxit imbre. Donec vnda perfurit,
Rotata saxa sustinet; cutem notat.
At vt recessit alba bruma; solibus
Repulsa feruidis, virens leuat caput,
Nocentibusque prosperata fluctibus,
Nitetque flore, purpuratque fructibus.
Tulistis impetus, minasque Barbari
Furentis amne plus, Notisque percitis,
Hyems acerba vitæ vt affuit breuis.
Modo, vt recessit illa, venit altera
Beatior, perennior, venustior,
Vbi Tyrannus exulat, nocet nihil,
Nouoque Vere prosperantur omnia.
Ibi virete purpurata fructibus
Humo perennitatis apta germina.

MAXIMILIANVS DEZZA.

VII.

NAVIS IACTATA FLVCTIBVS INTER MONSTRA, ET SCOPVLOS AD PORTVM TENDENS, CVM EPIGRAPHE,

PER VARIOS CASVS.

Laboriosum ad æterna præmia Martyrum iter.


AD EOSDEM.

ITer per æquor hoc vicissitudinum
Ad alta quisquis arduum secat Poli,
Maris necesse multa monstra transeat,
Remunerantis antequam Carinula
Tremente, portum adire possit ætheris;

Et

Et ante sorbet vnda salsa plurimas.
O ergo bis beata, terque pectora,
Cruoris alta quæ ruistis æquora,
Datumque tuta iam tenetis æthera,
Vbi timere nil opus voragines.
Auete ter, quaterque, auete millies;
Simulque nostra ferte in astra Carbasa.

NICOLAVS PAVLINIVS.



VIII.

AQVILA, GENTILE AVTHORIS INSIGNE, A CYCNIS PROHIBITA NE VOLET: CVM DICTO.


NON VI, SED CONCORDIA.

Innocentia Martyrum Romanam potentiam superauit.

AD TYRANNVM.

VT Alitem, Tyranne, numen Imperì
Humo subactà, agas ad vsque sidera,
Pio cruore tela tincta suffice:
Fugetur orbe Christianà Puritas.
Inepte, inopsque mentis! Ales Imperì,
Simulque Tu, simulque Regna concident,
Suis, & ipsa Roma viribus ruet;
Regetque sceptra fortitudo Cycnea.

IACOBVS BIANCALANA.



EPIGRAMMATA

I.

PRO D. IVLIO MARTYRE IN TYRANNVM.

PEtit Tyrannus Herculis decus sibi;
Vaporat Ara; concidens genu, nouum
Adorat Herculem Vrbs superba Romuli.
IVLVS vnus abnuit; Ferox Deus
Sub imbre verberum iubet necem pati.
Niues per innocentis vnda corporis
Statim cucurrit, induitque purpurà.
In astra deinde pars recessit optima.
Quid, ò Tyranne, proficis? Facis Deos,
Ab Orbe quos repellis; ipse sis pecus.

BERNARDINVS DE RVSTICIS.



II.

PRO EODEM IN EVNDEM TYRANNVM.

QVid, ò Tyranne, tot minas, tot aggeras
Neces? Putasne posse Martyrem mori?
Carere honore? Nocte sordidà premi?
Vt obticescat ore quod potest loqui,
Silentium loquetur, & tubà canet
Sonoriore fama cuncta permeans;
Eritque luce, noctis vmbra clarior,
Erunt theatra, quæ sepulchra feceras.

HIERONYMVS CIVFFARINIVS.

III.

III.

IN TVMVLVM SS. LVDOVICI, ET ELIAE,

Quorum Ossa simul commista reperta sunt.

VNa fuit quondam mens; nunc quoque corpus, & vnum est;
Vinxit Amor mentes, corpora vinxit Amor.

VINCENTIVS BAMBACARIVS.

IV.

IVLII MARTYRIS, ET DICTATORIS COMPARATIO.

IVLIVS effuso multorum sanguine Cęsar;
Subdidit imperio Martia sceptra suo.
Sed tandem proprio fœdauit rapta cruore
Sceptra, nec imperij gloria longa fuit.
Hic nullos quærens alieno sanguine fasces,
Perpetuum obtinuit, Regna beata, decus.

IOANNES LIPPIVS.


V.

PLINII MARTYRIS, ET HISTORICI COMPARATIO.

PLINIVS arcanas rerum perquirere causas
Dum cupit, & imi iura Mundi agnoscere;
Ardentem insilijt, quà plurima flamma, Veseuum,
Leuisque ad astra redijt actutum cinis.

Spreuit humum Sardus speculari PLINIVS, & se
In astra totum contulit, & arces Poli.
Atque auidus sublimè magis, clarùmque tueri,
Amantis igne conflagrauit Numinis.

ANTONIVS GVIDICCIONIVS.




VI.

ELIAE MARTYRIS, ET THESBITAE COMPARATIO.

RElligionis honor Thesbiten egit Eliam,
Stricto vt in aduersos surgeret ense viros.
Ipse necem pauidus fugit, quam Regia coniux
Intentat, fatisque optat obire suis.
Non tu Sarde, licet plus, hostes cędis ELIA
Numinis; ast offers te tamen ipse neci.

CAESAR GRATIANIVS.



VII.

AD D. LVDOVICVM MARTYREM.

ESt Regale tibi Nomen, LVDOVICE; sed vnde
Regna tenes? Vel quis nomina signat honos?
Scilicet imperitas tibi Princeps, sceptràque gestas
Mentis; vera Fides cingit honore comas.
Vna tamen forsan tibi regia purpura desit;
Est tibi perfusus Purpura clara cruor.

BENEDICTVS MANFREDIVS.




VIII.

DE EODEM.

EN vincis ludum, LVDOVICE; at ludicra non sunt
Arma, ferit sacrum dum tibi mucro caput.
Acris pugna! Tibi tamen est ludus, grauiorem
Optanti. Ludum quis facit? Almus Amor.

THOMAS GVINISIVS.




IX.

IN TVMVLVM MARTYRVM SARDORVM.

MArmora, Sardoùm quæ Corpora cæsa Virorum
Seruabant, populis vsque colenda pijs:
Admixtas Crucibus Palmas tenuisse feruntur,
Quas rarà excìdit nobilis arte manus.
Hos ego crediderim, caperent vt in Aethere Palmas,
Quadrifidam lætos sustinuisse Trabem.

BERNARDINVS CENAMIVS.



X.

DE D. IVLIO MARTYRE.

QVòd tibi Sardoi decertent, CHRISTE, Gigantes,
Non satis: Ausonius militat ecce Puer.
Ne mihi iam recinant Bromij miracula Vates.
Ficta illa vt res est, sic habet ista fidem.

FABIVS GVINISIVS.




XI.

XI.

IVLIVS VIRGO, ET MARTYR.

IVLIVS enituit VIRGO candore niuali:
Scilicet Cæli petebat Candidatus Purpuram.
IVLIVS enituit perfusus sanguine MARTYR:
Hoc fuit nempe obtinere, quam petebat, Purpuram.

CAROLVS PARENSIVS.




XII.

IVLIVS VENVSTVS.

MArmora testantur te, IVLI, sacra VENVSTVM:
Ore magis, Iuli, an mente Venustus eras?
Ore Venustus eras, & mente; sed illa Venustas
Ex animo in pulchro Corpore promicuit.

IO. BAPTISTA BARTHOLOMAEIVS.



XIII.

IVLIVS VERNIS.

VErnis vocatur IVLIVS; nomen decens;
Violis, & ipsis nomen aspersum rosis;
Plenum lepore nomen, auctum gratijs;
Quod casta protulit ore ridenti Venus;
Et melle nomen dulce magis, & nectare,
Gemmisque nomen Indicis clarum magis;
Nomen suaue, molle, pulchrum, nobile;
Quo tempus anni nuncupatur optimum.
Flores tibi sunt perpetes, Veris decus;
Fructus tamen, & Autumnus ostentat suos.

PAVLINVS MANFREDIVS.

XIV.

144

XIV.

IN TVMVLVM D. PLINII.

OStendit medio defixam in Corde, beatos
Quæ Cineres PLINI condidit Vrna, Crucem.
Non fortuna fuit. Viuus quam corde gerebat,
Hanc procul extinctus noluit esse Crucem.

IOSEPHVS GVINISIVS.




XV.

IN EPITAPHIVM SS. LVDOVICI, ET ELIAE.

ERrauitne manus, sacri quæ in marmore Busti,
Vbi Ludouicus, atque Elias conditur,
Extudit; HIC DVLCI VICTORES PACE QVIESCVNT
SVPER DIOCLETIANVM ADEPTI LAVREAM?
Non reor; illi etenim nunquam potuere Tyranno
Subesse; sed Tyrannus vsque fuit minor.

IO. CAROLVS CIVFFARINIVS.



XVI.

DE D. IVLIO

IN EA VERBA EPITAPHII


Depositus Virgo super se.

IVLIVS ingenuæ primæuo flore iuuentæ
Euolat ad certam pro Pietate necem.

Vir-

Virgineumque in se non dum violarat honorem.
Res rara! Omninò SE SVPER ille fuit.

FRANCISCVS SANTINIVS.



XVII.


DE EODEM

IN EA VERBA EPITAPHII

Depositus Virgo cum Vase sanguinis super se.

OCclusum Vitro IVLI super Ossa cruorem
Christiadæ in Tumulo composuere pij.
Quippe erat indignum, tam multo crimine terram
Sparsam, potari sanguine Virgineo.

IACOBVS BIANCALANA.



XVIII.

D. IVLIVS VIRGO.

SAcra Calepodij primùm Monumenta, vetusto
Marmore clauserunt Corpus, IVLE, tuum.
Post tot Olympiadas nostras transfertur in Aedes;
Optabas VIRGO VIRGINIS ip e Domum.

IO. BAPTISTA ANDREOZZIVS.



XIX.

DE DIVO ELIA


AD VRBEM LVCAM.

THesbites vbi se terris ostendet Elias,
Innuet extremum gentibus ire diem.

Nil

Nil tibi, LVCA, tuus dirum portendit ELIAS,
Nam Paradisum alium te cupit esse sibi.

PETRVS SANTINIVS.




XX.

DE D. IVLIO.

AD VRBEM LVCAM.

IVlio data es petenti, LVCA, quondam Caesari,
Te tamen diu tenere mors acerba non tulit:
IVLIVM nunc Alma habere ROMA meliorem dedit,
Fata postulant tuendam te vsque, Luca, à IVLIIS.

IOANNES VINCENTIVS LANDVCCIVS.




XXI.

AD VRBEM LVCAM.

DE QVATVOR MARTYRIBVS.

QVid est, quòd oris, LVCA, Sardòis tibi,
Orisque Latijs, sacra Diuùm corpora
Venère? Tybri, & AEquori libet Auferem
Præferre? An abs te, qua carent diu abdita,
Lucem requirunt? Autumo; LVCEM petunt.

SIMON BOCCELLA.



XXII.

DE MARTYRIBVS CALARITANIS


AD MVSAM.

INuida quid quereris labentia tempora Clio?
An doles quòd clara Diuùm gesta Sardòum occulant?

 Imme-

Immeritò. tamen ampla ſeges tibi ſurgit honorum.
Martyres fuiſſe vulga; prædicaueris ſatis.

PAVLVS COLIVS.



XXIII.

MARTYRES SARDI IN CONSTANTINIANA BASILICA *CALARI PRIMVM COLLOCATI.*

CONſtantiniacum Calari ſacra Pignora Templum
Excepit, quæ nunc propria, LVCA, colit.
Nam, quæ fixa animo fuerat CONSTANTIA viuis,
Se ſociam extinctis addidit in Tumulo.

CAROLVS PARENSIVS.




XIV.

IVLIVS VIRGO, ET MARTYR.

IVLIVS aſſerta pro Relligione, cruorem
Effudit; Hunc iam MARTYREM nullus neget.
Iulius intacto deceſſit corpore VIRGO;
Hunc bis fuiſſe Martyrem nullus neget.

DIDACVS DE MINVTOLIS.



XV.


IN COMMODVM CAESAREM, *A QVO D. IVLIVS OCCISVS.*

VIs Hercules haberi, & eſſe, Commode,
Nec tu Dracones comprimis diros puer;
Nec vir per alta Mænali ſternis ſuem,
Nemeæ ferox nec occidit per te Leo,

Nec

Nec æripes te Cerua victorem refert.
Nec ſceptra præfers rapta; nec clari labor
Te decorat vllus Herculis, niſi vltimus.
Puerum necas tu IVLIVM, O dirum Herculem!

STEPHANVS MECONIVS.




XXVI.

IN FAMAM

PRO MARTYRIBVS CALARITANIS.

INfamis FAMA, infauſtè fauſtiſſima, Diuùm
Sardorum Terris facta referre negas?
Iam ſolitus reſonet torpenti flatus in ęre.
Ah, Scio cur renuas dicere facta Virùm.
Nil dicis, cui nil addas. Hæc maxima cum ſint,
Et nihil his valeas addere, iure ſiles.

MAXIMILIANVS DEZZA.



XXVII.

Anagramma

S. LVDOVICVS
SOL LVCIDVS.

POſt obitum aufugiens ſedes LVDOVICVS auitas,
Te, Luca. Patriam eſſe iam cupit ſuam.
Occiſus fugit Occaſum, trahiturque decoræ
Honore Lucis; eſt quippe SOL LVCIDVS.

CHRISTOPHORVS GVIDICCIONIVS.



XXVIII.

Anagramma
SANCTVS LVDOVICVS M.
VT NOVVM SIDVS LVCES.

VT sidus lustras LVDOVICVS lumine terras;
Quem poterit dignum te dare Luca Polum?
Se dignum tanto Sardòrum sidere Cælum
Abnuit. O Cælum nè rapiat superum!
En Lucense NOVVM LVCES VT SIDVS in Orbe
Iam benè coniuncti sidus, & Orbis erunt.

BARTHOLOMAEVS DE PROSPERIS.



TEMPLI ABSIDA

H*Vius apparatus, vtpote in loco templi magis conspicuo, spectantium oculos ad se rapiebat. In extima pila vtraque, Elogium dependebat: alterum de D. Iulio; alterum de D. Ludouico. In fronte, ac lateribus Absidæ, Quatuor Flumina gemmifera, & aurifera spectaculum sui faciebant;* INDVS, GANGES, ISTER, PACTOLVS: *quæ per subiectum Epigramma Adstantes alloquebantur. Iacebant hæc de more, arundineo serto coronata. Cæruleus amictus corporis partem velabat, maiori parte nudata. Vrnam alia sustinebant. Alia eidem innitebantur; ex qua commixtas aureis guttis, & gemmis aquas effundebant. Mira omnibus insignium varietas, vt singula possent dignosci. Sed aliquanto altius a Fluminibus quatuor Emblemata, bipertito hinc inde Epigrammate ornata, visebantur, quæ omnia hic subijcio.*




DE

147

DE D. IVLIO
ELOGIVM.

DIVO IVLIO VERNI VENVSTO
ROMANÆ PVRPVRÆ ORNAMENTO:
GENTILITIÆ NOBILITATIS ASTRO INOCCIDVO
QVI
IVLIVM NOMEN A MAGNO IVLO DEMISSVM
VERA RELIGIONE ILLVSTRAVIT.
CVI
SENILE INGENIVM, CANI SENSVS, MATVRI MORES
PRÆTEXTAM, AVREAM BVLLAM
IN LATVM CLAVVM, EBVRNEVM SCIPIONEM
ANTE ÆTATEM, MERITO COMMVTAVERE:
OPES, NOBILITAS, INDOLES, DECOR
GLORIAM, HONOREM, DIGNITATEM, GRATIAM PEPERERE:
VNVM CHRISTIANVM NOMEN
COMMODI PORTENTOSI HERCVLIS, FVRENTIS, INSANIENTIS
ODIVM, IRAS, DIRAS CONCITAVIT.
QVI AVREAM BVLLAM
NON DIIS LARIBVS, SED CHRISTI PAVPERIBVS
CVM AVRO, ARGENTO, FACTO, INFECTO
NE PIETATIS HOSTES POTIRENTVR
PERBENIGNE SACRAVIT.
PVRPVREAM TOGAM EXVIT EXSENATOR,
VT CRVORE SVO PVRPVRATVS
IN CÆLESTEM CVRIAM MELIVS ALLEGERETVR.
SERVILI ERGASTVLO TRIDVVM OCCLVSVS
PÆDORE OBSITVS, INEDIA PENE ABSVMPTVS
FACILE SVB VIRGIS CONCIDIT CORPORE
NON ANIMO.
EXTINCTVS, VT NVNQVAM EXTINGVERETVR
FATO MAIOR, MORTE SVPERIOR
VIVIT, VIVET.
FAVSTITAS, FAMA, ÆTERNITAS.




LAELIVS GVIDICCIONIVS.



DE D. LVDOVICO
ELOGIVM.

DIVO LVDOVICO SARDO MARTYRI
EGREGIO, INCLYTO, ILLVSTRI
CVI FELICISSIMO NOMINIS OMINE
INCVNABVLA VICTORIAM PORTENDERE
VERE LVDI, SED SERII
VICTORI, TRIVMPHATORI
PALMA, LAVREA, POMPA DIGNISSIMO.
QVEM
CALARIS VRBS REGIA REGEM CAELO PEPERIT
REGIO NOMINE DECORATVM
ASTRIS IN ORBE MELIORI CORONANDVM.
DIOCLETIANVS
ÆTERNVS CHRISTIANI NOMINIS HOSTIS
SCIRON, PROCRVSTES, SEINIS
VT VITA EXPOLIARET, INNATA CRVORIS PVRPVRA
CONVESTIVIT.
MERITO PALVDATVM SANCTIORIS MILITIÆ IMPERATOREM
INAVGVRATVM SACRATIORIS AVLÆ REGEM;
LVCA
ETHRVRIÆ OCELLVS LVCIDISSIMVS
PIETATIS DOMICILIVM AVGVSTISSIMVM
LIBERTATIS ASYLVM ÆTERNVM
HOSPITI POSTHVMO AMANTISSIMO, IAM CIVI SVO
PATRONOQVE OPTIMO
SE, SVAQVE OMNIA
D. D. D.

THOMAS GVINISIVS.



AD

AD FLVMINVM STATVAS EPIGRAMMATA.

AD ISTRVM.

QVem cunctis gignit fluuijs Germania Regem
Huc ego gemmiferis aduehor ISTER aquis.
Tot populos liquisse iuuat, fluuiosque, lacusque
Atque tuos, AVSER parue, subire lares.
Scilicet Hospitibus gemmas fero, munera, Diuis,
Victrices possint queis decorare comas.

IACOBVS MARTINELLIVS.

AD INDVM.

INDVS ego hic adsum regnis celebratus Eois,
Caucaseis orior, qui minor amne iugis.
Permixtum lymphis aurum, quod auara legebat
India; Luca, meo nunc tibi fonte cadit.
Excipe, & Heroum, quos gens Sardoa, potensque
Roma dedit, nitido stemmate cinge comas.

LAELIVS GVIDICCIONIVS.

AD GANGEM.

ILle ego sum prima GANGES ab origine mundi,
Quem non dum rastris fucia terra bibit.
Fulgentis traho relliquias sub gurgite, secli;
Gazis dito Indos, Aethiopasque meis.
Postquam Victores Sardoi, herosque Latinus
Aduenere, omnes huc veho laetus opes.

THOMAS GVINISIVS.

AD

AD PACTOLVM.

MAEonios claris agros PACTOLVS arenis
  Alluo, opes nostris Crœsus adauxit aquis,
Nam Phrygius tepidis vt se Rex lauit in vndis
  Aurato labi pallidus amne feror.
Nostra peregrinis en hic Victoribus vnda
  Defluit, hos auri copia tota decet.

CAROLVS PARENSIVS.

EMBLEMATA

I.

MARTYRES, DEO DVCE, LAETI SVPPLICIORVM PELAGVS TRANANT, EVADVNT.

Arion inter vndas à Delhpine feliciter vectus.

LEsbius vt sociùm fraudes agnouit Arion,
  Iecit se in medias, tutus vt esset, aquas.
Hunc tamen excepit modulantem carmina Delphin,
  Quo Duce, Tænarias nauit ad vsque plagas.
Fabula concedat facto. Vos impia, Diui,
  Turba petit comitum, nec tamen optat opes.
Vult spoliare fide. Vos certę occumbere morti
  Eligitis, pariunt nulla pericla metum.
Tænara non vos excipiunt, sed sidera lętos,
  Est quibus in sæuo dux pelago ipse Deus.

NICOLAVS DE NICOLAIS.



II.

II.

TYRANNI MARTYRIBVS INVITI REGNVM PARAVERE.

Bellerophon Chimæram inuadit.

IObatæ imperio, Lyciæ mirabile monſtrum
 Preſſit Bellerophon, alite vectus equo.
Laurea Victori, regnique inſigne ſuperbum
 Ceſſit; at huic diram ſtruxerat ille necem.
Chriſtiadas fruſtra ferro, fruſtra obijcis igni
 Barbare: In innocuos quid furere vſque iuuat?
Inuitus regnum donas Victoribus Hoſtis,
 Cumque abolere ſolo vis, ſuper aſtra locas.

VINCENTIVS BONDICCHIVS.

III.

AETERNAE BEATITATIS SPE MARTYRES EXCITATI, VELVT LARVAS QVASDAM TORMENTA DVXERE.

Iaſon aureum vellus, flammiuomis tauris prædomitis, furatur.

AVrea Colchiacis ſyluis rapturus Iaſon
 Vellera; flammiuomos ſuſtulit ante boues.
Hoc vnum obſtiterat: nec veras vincere flammas
 Debuit; ille oculis terror inanis erat.
Non vana obiectant vobis incendia Tauri,
 Excitat ęterni quos decus imperij.
Sed flammas Cæſar, flammas minitatur Auernus
 Veras; Nulla tamen pectora flamma mouet.

IOANNES VINCENTIVS LANDVCCIVS.



IV.

CAELESTE IMPERIVM MARTYRES IN SE DEMISSE VIOLENTOS HABVIT.

Gigantes montium aggere Cælum adoriuntur.

NE magis astra forent humanis tuta; Gigantes
Cæleste Imperium bello inijsse ferunt.
Atque ausos montes imponere montibus altos,
Deiectos superùm vi, cecidisse polo.
An fuerit semper crimen cęlestia regna
Appetere, & celsum tollere in astra caput?
Ecce noui inuadunt magnum Titanes olympum
Fulmina nec feriunt. Cur? Quia sponte cadunt.

IOANNES CAROLVS CIVFFARINIVS.



TEMPLI PORTICVS

Corona Aurea, gemmea, florea, supposita singulis carmine, adiectis etiam in capite Dedicationibus, & in fine Ode, Templi Porticus, siuè Alas mirificè exornabant. Affixa in hemicyclis prope concamerationem Emblemata cum Epigrammate hinc inde partito; quæ omnia, si tadium non est, hic Lector recognosce.



AD

AD SANCTOS MARTYRES IVLIVM, PLINIVM, LVDOVICVM, ET ELIAM.

CORONÆ AVREÆ. GEMMEÆ. FLOREÆ.

IPSIS MARTYRIBVS SESE GEMMAE, AC FLORES DEVOVENT.

EPIGRAMMA.

COhors beata, Martyres, decus poli,
Solique stantis in rotâ volubili
Vicissitudinum, decora sidera;
Fauete, auete; ter, quaterque, millies,
Catena queis Corona facta Gloriæ.
Mucroque sceptra germinauit aurea.
Auete. Supplicumque siquid obtinent
Preces; precamur ore margariteò
Precamur ore purpurante flosculis
Sacri Corona fas sit esse Verticis.

STEPHANVS CENAMIVS.

AD DIVVM IVLIVM ROMANVM MARTYREM.

AVRVM.

EPIGRAMMA.

LImum pro Christo Mortalia cuncta putasti,
Quicquid & orbe nitet, ducis, IVLE, fimum.
Aurum pro limò nunc accipe: Munera Christus
AEterna tura hæc, non peritura refert.

BERNARDINVS CENAMIVS.

AD EVMDEM.
ADAMAS.

VIs mihi amoris inest; ad amandum impello ferentes.
Vnde benè indomitum nos Adamanta vocant.
Sum tuus, inquè tuam, precor, assere, Diue, Coronam,
Romuleæ Gentis, Maximum IVLE decus.
Indomitum te fecit Amor. Nec verbera quamuis
Attererent Corpus, Cor domuère tuum.
Accipe demissum, sublimique insere fronti.
Luce tuâ siquidem, lux mea maior erit.

FRANCISCVS PAGNINIVS.

AD EVMDEM.
AMETHYSTVS.

VEnena nesciens Iule dulcia
Cruoris emicans IVLE purpurâ.
Iule Gemma puritatis, adijce
Tuis Corollulis, tuis lapillulis,
Coloris æmulam, liquoris inscîam
Amaricantis ebriosa pectora,
Tibi piamque, supplicemque Gemmulam;
Decoris ipsa nil tibi, ipse plurimum
Feres, Reuiuet illius iubar tuò.

SIMON CARMINATIVS.

AD EVMDEM.
ACHATES.

QViritium in finum ruens furor Ducis.
In omne concitum statim nefas trahit.
Hydram repullulante semper agmine,
Necasse vult, & Herculi rapit decus.

Haberi

Haberi in Orbe vult enim nouus Deus.
Minas, necesque, quisquis haud colit subit.
IVLVS ergo grande Purpuræ decus
Negat Tyranno honorem, & abnuit nefas.
Statim iubetur impius satellitum,
Adesse Nimbus, imbre Verberum grauis
Adusque membra, qui fatiget halitum.
Furit procella, virgeum ferens nemus,
Ebur notatur innocens, rubent magis
Achate membra purpurata fulgido.
Amore fortis ille Victor, emicat,
Et astra lętus, atque liber aduolat.
Proculque morte, cędibus, periculis,
Achate nectit, incruenta tempora.

IOSEPHVS GVINISIVS.

AD EVMDEM.
ASTERIA.

ASTro plena micat, quæ Nomina ducit ab astris
Gemma, coronatâ fronte, tenenda venit.
Dignus Honor meritis, nam sidera mente tulisti,
Quamuis in terris Corpore, Diue, fores.

IOANNES BAPTISTA PINOCCIVS.

DD. MARTYRIBVS LVDOVICO, PLINIO, ET ELIAE
ASBESTOS.

IGne semel factus Lapis hic non expauet vndas,
Ardet & in medijs non madefactus aquis.
Vos decet, ô Diui, quorum simul induit almus
Pectus Amor. Mortis non trepidastis aquas.

IOANNES CAROLVS CIVFFARINIVS.

IISDEM DD. MARTYRIBVS.

BERILLVS.

DVm foret in terris vobis luctamen, & Hostis,
Semper in ambiguò Spesque, Metusque fuit.
Nunc metus omnis abest: potitur spes anxia voto,
Hoste triumphato fertis in astra pedes.
Munera Berilli ferimus, nè temnite, Diui,
Spe viruit: vestrò palluit ille metu.

MVTIVS TRENTA.

IISDEM MARTYRIBVS.

ASYCTOS.

INseritur vestris Diui, nigra Gemma Coronis
Decora purpurantibus notis tamen.
Scilicet vt tenebris, vestra occulat acta Vetustas,
Sat gloriosos Martyrum præstant notæ.

DIDACVS DE MINVTOLIS.

DD. MARTYRIBVS IVLIO, LVDOVICO, PLINIO, ET ELIAE.

PYROPVS.

PYropus iste, quò superbit India,
Nitore sidus omne qui vincit suò,
Vestris Coronis inserendus additur
Diui, cruore, qui Coronas nectitis.
Vt ille noctis explicat nigrum Chaos;
Infensus vmbris: sic trucem vos Callarin
Odistis, & cruore perfusum solum,
Nouumque LVCAE, lucis infertis iubar.

FRANCISCVS DE NICOLAIS.

IISDEM SS. MARTYRIBVS.
CHRYSOPRASVS.

TEnebricosa quid, Tyranne, Carcerum
Necisque, quæris horridum nigræ chaos?
Vt opprimas nè clara facta Martyrum?
Erynnis atra fac quod admonet Parens,
Neca; sub altam humum reconde funera,
Magis, magisque crescet illa claritas,
Vt hic Lapillus occidente sidere.
Ab Vrbe nam nigrante Callaris Deus
Ad arua Lucis euocabit aureæ,
Eruntque Lucis inquilina Nomina
Sepulta nocte, quæ putaueras nigrâ.

FRANCISCVS MARIA DE COMITE.

IISDEM SS. MARTYRIBVS.
CERAVNIA.

CVm fera sæuit hyems quatiturque tonitribus æther
Nubibus elisis, decidit iste lapis.
I, furor, atque vno styga, terras fœdere misce
Exulet vt Virtus omnia cæde natent.
Parturient gladij Gemmas, quę nube solutâ
Corporis, haud terras, clara sed astra petent.

ROCCHVS BISCOTTIVS.

IISDEM.
ENHYDROS.

O Vos terque quaterque, milliesque
Fælices Animæ, Caterua fęlix,
Quorum dum dubium cadentis auræ
Mortales iubar induebat artus,

Inter

Inter Spemque, Metumque fluctuantes
Fuderunt fluuios duos Ocelli,
Ingentique cruor cucurrit amne,
Finis iam lacrymis, modus que detur,
Compleuit Deus ora vestra risu
Detersit lacrymas, stitit cruorem,
Et pro sanguinis imbre, proque luctus
Vos clari iubaris rigauit imbre;
Nos vestri gemitus tenentis vmbram
Munus deferimus pium Lapilli;
En hìc perpetuò gemens Enhydros
Paruus, nec lacrymis minor profusis,
Qui cingat nitidâ caput Corona
Qui vestros gemitus, suò repellat.

IVLIVS IACOBVS MARTELLIVS.

IISDEM MARTYRIBVS.

IASPIS.

CVm daret Emeritis dignam Virtute Coronam
Omnipotens celsâ siderum in Arce; Pijs.
Sanguinis effusum satis, inquit, Iaspide tandem
Ite coronati; stet Cruor, extet Honor.

BERNARDINVS DE RVSTICIS.

AD D. IVLIVM SENATOREM, MARTYREM

MARGARITA.

PVro rore grauis Mater me Concha decoram
Fudit, & in Gemmis ditia sceptra fero.
Me Reges quęrunt; me votis omnibus optant:
Quęrentes fugio; sępe vocata moror.
Tu mortalis adhuc Christi qui diues Amore
Spreuisti nostrum pulcher, IVLE, decus.

Accipe nunc ſpretum, fugientem conſequar vſque,
Quòque magis fugies, te magis vſque ſequar.

ROCCHVS GRAMMATICA.

AD EVMDEM MARTYREM.

SAPPHYRVS.

CONcolor hic Cælo Sapphyrus gloria Regum
Tuis, IVLE, conuenit Monilibus.
Iure quidem; nam tu Cælo quoque concolor ipſe,
Caduca quæque, nec cupis nec expaues.

IOANNES LIPPIVS.

AD EVMDEM.

SMARAGDVS.

ACcipe, Diue, tua dignum Virtute Smaragdum,
Accipe Nil illo clarius orbe viret.
Virginitate tamen Vernas magis ipſe. Sed ipſa
Virginitas flores, & ſua poma tenet.

IO. FRANCISCVS VRSVCCIVS.

DD. MARTYRIBVS IVLIO, PLINIO, LVDOVICO, ET ELIAE.

OPALVS.

QVæ diuiſa dedit munera cæteris
AEquis diſtribuens partibus Arbiter,
Hæc collecta ſimul Gemma tulit ſibi.
Incedit dibapha clara amethyſtina,
Scintillat radijs plena pyropicis,
Præclarumque viret, fronte ſmaragdina.

Vestris conueniens ritè monilibus,
Diui, Gemma venit; Nam licet inuidi
Vix qui superent Nomina fucibus,
Virtutes tamen hoc MARTYRIS vnico
Nexæ tot decorant Nomina vinculo,
Quot pollet varijs Gemma coloribus,
Quot sparsére Pijs Sidera ceteris.

IOSEPHVS PAGNINIVS.

IISDEM MARTYRIBVS.
SOL, GEMMA.

HOnore quisquis Acta digna nobili
Requirit, & Virtutis inclytum iubar
In his, Trophæa quorum hic explicat dies:
In Sole cæcutire se ostendit quidem.
Nam nulla quamquam facta fulgescant; tamen
Cum dicis: Hi sunt Martyres, dicis satis.

CONSTANTINVS DE PROSPERIS.



FLOSCVLI
DD. Martt. Iulio, Ludouico, Plinio, & Eliæ in Serta connexi.
AD IPSOS FLORES.

HVc Rosę molli properate nimbo,
Huc ades Florę rubicunda Proles,
Huc Opes veris, precor ò, beati
Ferte Cothurnos.
Hìc opus Sertis, opus hìc Coronis,
Martyrum fortis decoranda Virtus,

Qui

Qui, triumphato Phlegetonte, lęti
Sidera poscunt.
Omnis in flores eat Orbis ergò,
Omnis in flores Humus intumescat.
Vos, & in flores nitidi astra cęli
Vertite flammas.

ALOYSIVS SARDINIVS.

AD DIVVM IVLIVM MARTYREM.
ROSA.

ROsa Venustior VENVSTE rosida
Rubos, IVLE, es inter exsecrabiles,
Rubens Cruore, Puritate candicans.
Vt illa flosculorum ocellus est nitens,
Ocellus ipse sic es Orbis integer,
Adornat illa prata, at ipse sidera.

IOSEPHVS CAGNOLIVS.

AD EVMDEM.
VIOLAE.

HAnc tibi de Violis sacramus, IVLE, Coronam:
An non & Violis pulcher es ipse magis?

DOMINICVS ANDREONIVS.

AD EVMDEM.
LILIA.

IVLE lumen grande Purpuratorum;
Iule Romanę decus Iuuentutis.
Iule Sanctitatis inclytum exemplar.
Iule formosissimum iubar terrę.

Iule præclarissimum Iubar Cæli;
Iule lacte magis, ebore, niue intacte.
Tibi Corollam è Lilijs Triumphanti,
Cohors amica Virginum, hanc manu nectit.

ROCCHVS BISCOTIVS.

AD EVMDEM.
NARCISSVS.

NArcisso magis ò VENVSTE Verno,
Cui florem dedit esse purpuratum
Sanguis: Non amor Echoos furentis,
Romanæ decus Vrbis olim, Iule,
Lucensis modò lux amica mundi,
Cęlestique Beate semper Arce.
Flauos impl citura, Diue, crines,
Narcissis cape nexa serta Vernis,
Quę deuota tibi, dicat IVVENTVS.

IOANNES BAPTISTA BINIVS.

AD EVMDEM.
HYACINTHVS.

HYacinthe purpurascens
Similis colore Cęlo,
Satur imbre lactis vsque,
Citò vade quò vocaris,
Non Romuli ad Nepotem;
Cæli sed ad Quiritem.
Huic nexus in Coronam,
Te fronte da ferendum.
Magis albet ille lacte,
Mage purpurà rubescit,
Suo cruore diues.
Veneremque virulentam;
Par Angelis repressit.

IOACHIMVS DE THOMAEIS.

AD

AD DD. MARTYRES IVLIVM, LVDOVICVM PLINIVM, ET ELIAM.

AMARANTHVS.

AMaranthęis tempora Sertis
Nexi, æternùm viuite, Diui;
Sidera supra, viuite læti,
Procul hinc, procul est metus, atque minę;
Procul hinc ensis, procul hinc ignis;
Procul intortis dextra flagellis:
Moritur nunquam Virtutis honos,
Viuit semper data vita Deo.
Quin æternum nil magis, ac nil
Amaranthęo dignius orbe,
Quam pro Christo fundere vitam.

FRANCISCVS SESTIVS.

AD D. IVLIVM SENATOREM ROMANVM MARTYREM,

ANEMONE.

FLOS hic fuisse dicitur puellulus,
Pulcherrimus, Paphique dilectus Deæ.
Suis peremptus ille dente pessimi,
Amantis arte floris in formam stetit.
Nugę hę. Sed vmbram Veritatis ingerunt.
Apro Tyrannus sęuior dedit neci
Delicias olim magni Tonantis IVLIVM,
Sparsitque sanguinis solum riuo pij,
Vitamque, Virtutemque dum putat mori.
At ille, qui septemplicem regit rotam,
Vitam perempto pulchriorem contulit:
Florem VENVSTVM fecit, & felicibus
AEternitatis collocauit Hortulis.

LAVRENTIVS MARCHIVS.

AD DD. MARTYRES IVLIVM, LVDOVICVM, PLINIVM, ELIAM.

LIGVSTRVM.

NOn cadentia Serta,
Sed canentia certè
E perenne Liguſtro
Contigere Beatis,
Iure. Nam perituros
Floſculoſque, Roſaſque
Blandientis Auerni
Chriſti Amore, ſuperbo
Calcarunt pede ſemper.

SIMON BOCCELLA.

AD D. LVDOVICVM MARTYREM.

LAVRVS.

VT vincas ludum LVDOVICE, ruiſque per enſes,
Nec Mortem metuis; quod tibi munus erit?
Funus erit: ſed quo victor per ſęcula viuam,
Quo Lauro ęternà tempora vincta geram.

IOANNES PHILIPPVS MARIANIVS.

AD DD. MARTYRES IVLIVM, LVDOVICVM, PLINIVM, ELIAM.

PÆONIA.

TEmpora Pęonio, Diui, pręcingite flore,
Morte triumphatà queis noua vita redit.
Dicitur, hoc olim ſuperas reuocatus ad auras
Hippolythus, fidei fabula ſiquid habet.

Vt tamen haud huius, Diui, Vos viuitis Herbę;
Sed Christi; Vita est, cuius Amore mori.

CHRISTOPHORVS PAGNINIVS.

AD EOSDEM MARTYRES.

OLEA.

PAlladijs, Diui, iam cingite tempora ramis,
Pax hac fronde sedet, qua licet vsque frui.

VINCENTIVS BAMBACARIVS.

AD D. IVLIVM MARTYREM.

IASMINVS.

CAndida Serta tibi, cui semper candida cordi,
Afferimus, flauas implicitura Comas.
Accipe, si florem non dedignaris amicum,
Testem Virgineę mentis, IVLE, tuę.

NICOLAVS ORSVCCIVS.

AD DD. MARTYRES IVLIVM, PLINIVM, LVDOVICVM, ELIAM.

ODE.

TYrannus, ense qui recidit aurea
Diuûm cruentus stamina;
Putauit amne Nomen, & decus simul
Mersisse letheo Virûm.
Nec illa, quę reciderét semel nece,
Victura rursum Nomina.
Furentis, ô inepta mentis orbitas!
Virtus neci non subiacet.

Ferun-

Feruntur altas, siderum domos super
Virtute præstantes Viri.
Beatitatis summa adire culmina
Christi iubentur Milites.
Lapillus omnis extulit nitens caput,
Clarum Monili dat decus.
Perenne lumen excubantis ætheris,
Et siderum collusio.
Inæstimabilique mole turgidum
Conchylium diues iubar.
Chorique flosculorum olentium benè
Se se Coronis inserunt.
Triumphat ede purpurata siderum
Virtus coronatis Comis.

FABIVS GVINISIVS.



EMBLEMATA

I.

TYRANNI MARTYRES INSECTANDO, NON MARTYRIBVS, SED SIBI IPSI NOCVERE.

Polyphemus Cyclops ab Vlysse excæcatur.

IN DIOCLETIANVM.

ACcisis Socijs, Ithaco suprema minatur
Iam fata Cyclops, vlla nec spes est fugæ.
Ille sopore grauem, vinòque aggressus; acuta
Excæcat hasta, & victor exit carcere.
Perfurit immenso Cyclops ætneus in antro:
Ab hoste prædam subripi, & lumen dolet.
Te paria, immanis DIOCLETI, fata manebant,
Hostis Sacrorum, Christianorum Cyclops.
Regni luce carens, post funera tanta, videre
Nihil, nisi vnam tui Ithaci palmam potes.

NICOLAVS DE NICOLAIS.

II.

MARTYRUM TORMENTA, IN FELICITATEM VERNANTIA.

Rosæ arbuscula sub verno sidere, ex gentilitio authoris stemmate.

HAEc, quam purpura vestit, ornat aurum,
Qua ridet facies amæna Veris;
Dum Cęlo aspera bruma sęuiebat,
Tristis spina fuit, timenda tactu.
Ne mirere, Pios, ferox premebat
Quos, vt bruma, Tyrannis, atque acutis
Torquens vepribus vsque lancinabat,
In vernantibus ętheris viretis
Fulsisse in roseum statim colorem.

FRANCISCUS SEXTIUS.



III.

MARTYRES DEPRESSI, AD AETERNITATIS FASTIGIUM PERVENERE.

Giges fatalis anuli pręsidio regnum occupat.

DE D. IULIO.

QVem cernis, Giges est Lydius: Ipse reperto
Intra soli voraginem exit anulo.
Hoc ad se verso, quòd posset nemo tueri,
Regem necauit; ipse sceptra sustulit.
Fabula non tota hæc. Terram descendit in imam
Sublimis antè inter Quirites IVLIVS.
At regnum sublime magis dedit, hoste perempto,
AEternitatis hic repertus ANULUS.

IACOBUS CITTADELLA.

IV.

.IV.

MARTYRVM NECEM, AC TVMVLVM SVMMVS HONOR CONSEQVVTVS.

Bombyces è vermibus in volucres mutati.

QVi vermis iacuit, se sublevat ales in auras,
Nec retinere sinu stamina nexa valent:
Mors ipsa, ac tumulus tantum largitur honorem;
At non hæc meriti gratia parua manet.
A te Sacra cohors non multum abludit imago,
Dum Cæsar ferro, carcere, morte premit.
Spiritus ethereas euadit liber ad arces;
Vestra sequens tumuli nomina seruat honos.

IOANNES CAROLVS GIVFFARINIVS.

V.

MARTYRES NVNQVAM AB INVIDO TYRANNORVM DENTE ABSVMPTI.

Saturnus pro Ioue lapidem mordet.

DE D. IVLIO.

HIc, quem docta manus, conatu, finxit inani
Insano duram rodere dente petram:
Est Saturnus. Erat mos illi mandere natos;
Elusit coniux hac pia fraude Virum,
Ne laniare Iouem posset. Fors, Cæsar, acuto
Dente premes alios; liber IVLVS erit.
Vincla, flagella para, strictas minitare Secures;
Vsque premes lapidem; liber IVLIVS erit.

STEPHANVS CENAMIVS.

VI.

IPSE MARTYRVM SOMNVS, MORS SCILICET PLACIDISSIMA, TYRANNOS CONTERRVIT, SVPERAVIT.

Hercules à Pygmæis appetitus.

VEnerat Alcides extremos victor ad Indos;
Forte hic membra solo victa sopore dedit.
Gens Pygmæa ruit bello aggressura iacentem;
Aduersusque locans agmina parua, petit.
Sopitum subitò murmur tremefecit; & illo
Opposita Alcides castra tremore fugat.
Quid furis in Christum, Cæsar, Christumque professos?
Horum te vigilem vicerit ipse sopor.

CAROLVS GVIDICCIONIVS.

VII.

SPE DVCE, TVTISSIMVM INTER TORMENTA MARTYRIBVS ITER.

Orlandus Anchoræ præsidio Cetum inuadit, interimit.

GAllus vt Hiberniam Dux scitâ à morte puellam
Eripiat, Monstrum per vada salsa petit;
Vulneribus squamæ obsistunt, vibrata resultant
Spicula; fluctiuagum quâ domet arte Ferum?
Anchoram immenso coniectâ gutture; ventrem
Insilit, & ferrò viscera lata secat.
Per monstra; atque neces, per mille pericula, tutum
Vna Spei Diuis Anchora fecit iter.

MARIVS ORSVCCIVS.

FINIS.

LECTORI



Xcruciatte fortasse, Candide Lector, quòd IVLIVM nostrum, SENATOREM diximus. Fauet nobis locus, CALEPODII COEMETERIVM, vbi Senator humatus, vnde Noster exhumatus. Alius præter Senatorem, Iulius, aut ibi, aut alibi in Vrbe, quem sciamus, nullus est. At PVER hic Noster: qui ergo Laticlauius? Verùm Latus Clauus etiam infra annos legitimos datus. Spectata indoles, census, nobilitas, alia, præter ætatem. Neque verò quòd exigua vides ossa, puerum cense. Forsitan in maiori ætate tantillum copus Senatorium cepit ingenium. At enim Iulius ille XIIII. KAL. SEPTEMBRES, hic IIII. DEPOSITVS. Rectè admones: Sed frequẽs in Historijs scopulus, vel scrupulus, facilis Librarij, vel Lapicidæ error: facilis octo, decemue dierum iactura, nec tãti facienda. Cur verò in EPIGRAPHE SEPVLCRALI, quam dedimus, Senatoris nomen omissum? Alia etiam maioris momenti prætermissa: Tyrannus, ratio vitæ, genus mortis: Non omnia potuerunt breuissimi lapidis finibus concludi. Existimamus tamen ideò factum, quòd Commodi Principis lege cautum erat, NE QVIS SENATOR ESSET, HABERETVR, DICERETVR, QVI HERCVLI (sibi nimirum) SACRA FACERE RECVSASSET. Quis igitur Pius nomen tantæ impietatis indicẽ retineret? DE EPIGRAPHE ipsa maior Nobis dubitatio. Sed scias illam vt Iulij Nostri Romæ datam. Sit, necne, non decidimus. Neque Nostro PVRPVRAM ita vendicamus, vt meliori sententiæ locum, plausumque negemus. Iudica, tu Lector, & dijudica. Vale.